IN FUNERE

REVERENDISSIMI P. MAGISTRI

FR. VINCENTII MARIAE FERRETTI

PROCURATORIS GENERALIS

ORDINIS PRAEDICATORUM

ORATIO

HABITA

In Templo S. MARIAE supra Minervam
Kalendis Septembribus

A STEPHANO QUADRIO A S. CAROLO

CLER. REG. SCHOLARUM PIARUM.

ROMAE MDCCLVII.

Excudebant Joachimus, & Joannes Josephus Salvioni
Typographi Vaticani, & Archilycei Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

ORATIO.

NUnquam ſane futurum exiſtimaſſem ut, quum R̃mo Patri Vincentio Mariae Ferretto pro more & diſciplina majorum juſta fieri deberent, & vitae curſus ab eo ſumma cum laude confectus pari ſplendore copiaque orationis repraeſentari, mihi potiſſimum alterius hujus muneris partes eſſent ſubeundae, qui communis ex ejus morte triſtitiae acerbitatem ſatis magnam ſentirem. Etenim etſi neque patriae, neque Inſtituti ratione conjunctionem aliquam cum Vincentio mihi habere contigerit; eximiae tamen ejus in me benevolentiae, multorumque officiorum recordatio ita afficere, atque angere poterat, ut magnopere verendum eſſet ne quantum mea me fides ad dicendum hortaretur, tantum dolor in ipſa concione impediret, vel ſaltem retardaret. Verum hunc timorem & trepidationem relevat opportuniſſime tum conſpectus veſter, ampliſſimi Patres, qui quamvis arctiore ſodalitatis, & familiaritatis vinculo cum Vincentio Maria Ferretto conjuncti ſitis; ejus tamen parentalia, qua decet, conſtantia, & gravitate celebratis; tum incredibilis ad ei illacrymandum, & honeſtandum funus omnium aetatum, atque ordinum concurſus. Nam video pari pieta-

te vobiſcum mihi eſſe certandum, diligenterque cavendum ne mea vox deſit mortuo, cui viventi non defuit obſervantia mea, obſequium, & reverentia. Quin imo benignitas atque humanitas ipſa ſingularis, qua me Vincentius ad eum ſaepe accedentem excipere, & amplecti ſolebat, ad hanc, quam unice poſſum, referendam ei gratiam non modo impellit; verum etiam facit ut ad laudationis genus ſi minus tanto viro dignum, at certe quidem ab ejus moribus, & vitae propoſito non alienum mihi aditus aperiatur. Penitus enim cognovi hominis in loquendo modeſtiam, & gravitatem, in optimis conſiliis ſapientiam, & firmitatem, in agendo diligentiam, & ſedulitatem, in toto animi, & corporis habitu religionem, ſanctimoniam, majeſtatem, & ordinem; atque adeo ea ſpecies & imago viri meo inſedit animo, quam S. Bernardus a Ruperto conſanguineo ſuo Cluniacenſi familiae addicto referri cupiebat, quamque de ſe ipſo exhibuiſſe Beatus Paulus Apoſtolus teſtatus eſt ad Philippenſes ſcribens: *Ea, quae retro ſunt, obliviſcens, ad ea vero, quae ſunt priora, extendens me ipſum ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernae vocationis Dei*. Haec laus ſumma, haec eſt omnis Vincentii Mariae Ferretti commendatio, quod poſthabitis neglectisque ſubinde rebus praeclare a ſe geſtis, meritiſque ſingularibus, ad ampliora ſemper, & ſplendidiora virtutum ornamenta contenderet, ut Deo, qui ipſum ad maxima quaeque in Praedicatorum Ordine peragenda vocaverat, plane reſponderet.

Ea igitur, quae retro ſunt, obliviſcens, ad ea vero, quae ſunt priora, extendens ſe ipſum Vincentius Maria Ferrettus ad deſtinatum quum perſequeretur, ad bravium ſupernae vocationis Dei, ita animatus, ita factus ab ipſa infantia, pueritia, & adoleſcentia apparuit, ut ex vetuſtiſſima, nobiliſſimaque familia ortus verae laudis & gloriae, ad quam unice ſpectabat, amore incenſus illos ex

ſuis

ſuis majoribus ſibi imitandos propoſuerit, quorum imagines non clypeo, aut galea, non infula eminerent, aut toga, ſed humilem Chriſti crucem praeſeferrent. Si quis eorum, quae a nobis aguntur, aut dicuntur, mortuis eſt ſenſus, nulla re ille magis nunc gauderet, quam ea oratione, quae tota eſſet de modeſtia, de continentia, de integritate & ſanctimonia B. Gabrielis Ferretti: nam hunc Vincentius primum ſuae gentis, & familiae ornamentum eſſe quum crederet, ut Beatorum honore, quo jampridem in caelis, & apud ſuos cives fruebatur, ad majorem Seraphici Ordinis ſplendorem, ad avitae virtutis documentum, & poſterorum inſtitutionem Apoſtolica Sedes ubique gentium coli poſſe decerneret, inito foedere cum gentilibus ſuis, maximeque Benedicto Ferretto Equite Hieroſolymitano ampliſſimo, & Bajulivo Cremonae, omnem impendit operam, ſtudiumque ſuum. Exardeſceret vero, & gravius, quam mitiſſimum ejus ingenium ferre ſolebat, mihi ſuccenſeret, ſi quidquam eorum attingerem, quae de antiquiſſima, & celebratiſſima in Germania primum, poſt in Italia Ferrettorum gente annalium fidei & memoriae ſunt tradita. Nihil ergo coram Vincentio quamvis exanimi dicendum de Antonio Ferretto, qui decimotertio Eccleſiae ſeculo ineunte a Gregorio Nono e Germania evocatus, ubi egregiam in armis navavit operam eidem Pontifici adverſus Fridericum Caeſarem, primus rerum & fortunarum ſuarum domicilium Anconae poſuit: nihil de Liverotto in adminiſtranda republica peritiſſimo, quem juri dicundo praefectum ſemel Genuenſes, & ſemel atque iterum Florentini de ſuis bonis, & capite decernere voluerunt: nihil de duobus Beati Gabrielis fratribus, quorum alter a Martino Quinto Anconitanae, poſt Aſculanae Eccleſiae regendae conſecratus, alter ab eodem Pontifice & praefectura civitatis Peruſinae, & Senatoris in Urbe munere inſignitus eſt: nihil

hil denique de iis plurimis, quae vel singulae Ferrettorum familiae, vel eorum universa gens fortiter, & egregie domi militiaeque terra marique gesserunt ad patrimonium gloriae sibi a majoribus relictum confirmandum, & augendum. Importuna, & gravia acciderent haec praeconia Vincentio nostro, qui ea, quae retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, se ipse extendens ex tanta majorum laude unum sibi Beatum Gabrielem elegit ducem, quem in arduo virtutis itinere suscipiendo, perficiendoque constantissime sequeretur. Quid igitur mirum, si post exactam Anconae, urbe florentissima, atque ut multarum aliarum gentium, & familiarum, ita Ferrettorum nomine, & fama maxime celebri, ad omne pietatis officium pueritiam, post praeclaram in litteris, & bonis artibus institutionem anno octavo ac decimo aetatis e parentum amantissimorum sinu evolavit potius, quam aufugit Romam, ut in Filios Beati Dominici referretur? Videre erat adolescentem nobilissimum de paternae domus amplitudine, commodis, & illecebris nihil jam amplius cogitantem ad pedes Antonini Cloche universi tunc Ordinis Praedicatorum Magistri provolutum humillime petere ut sui voti compotem faceret, neque ab optatissimo cursu se diutius prohiberi sineret. Atque ex hoc animi ardore, quo Vincentius ad aggrediendum virtutis iter ferebatur, intelligere quisque potest quanta deinde in ipso tyrocinio alacritate & felicitate ea omnia superarit, quae saepe alios vel retardáre, vel defatigare solent. Ne illi opponas vestium asperitatem, jejuniorum frequentiam, vigiliarum fastidium, taedia solitudinis. Per haec enim, ut de Jsaac dictum legimus apud S. Basilium, promovens gradum in sublime attollebatur, donec magnus effectus est. Magnus revera in sui ipsius demissione, in fraenandis animi motibus, in omni virtutum laude effectus hic Noster non fuit ex iis, quos dolet S. Augustinus ibi remansisse ubi sibi placuerunt.

Insi-

Insignia illa doctrinae, quae mortui caput exornant, totumque cadaver circumstant, luculentissime docent quam non otiosus, immo quam laboriosus fuerit reliquus Vincentii vitae cursus. Minervitanum hoc lyceum, Bononiense, & Neapolitanum S. Thomae Aquinatis nomine insigne testes appello, quae ad philosophicarum, & theologicarum disciplinarum laudem tam amplum nostro juveni aperuere campum, quam est earumdem facultatum nullis circumscripta terminis amplitudo. Iterum atque iterum appello testes celeberrima atque amplissima tum in hoc Collegio Minervitano, tum in Neapolitano suggesta, ubi repente ex discipulo praeceptor factus aetate quidem adhuc juvenis, sed consilio, sapientia, gravitate maturus sedere jussus difficile est dictu quam brevi tempore non modo Neapolim, & Romam, sed universum qua latissime patet Dominicanorum Ordinem sui nominis celebritate impleverit. Et quidem cum Vincentium apud Sodales suos ea existimatione floruisse confirmo, ut nobilissimis Collegiis praeficiendum censerent, nihil praeclarius ad ejus commendationem dici posse contendo. Is enim est Ordo Praedicatorum, ubi inter cetera ornamenta maxima viget constantissima quaedam studiorum, & disciplinarum cum addiscendarum, tum tradendarum ratio, cui vix ac ne vix quidem alibi invenias parem. Multae hic & sapientissimae de tenendo, augendoque doctrinarum splendore constitutae leges, earumque nulla aut antiquata, aut leviter violata: insignia, & multiplicia hic proposita studiosae juventuti praemia, laureae, praefecturae, magistratus honorificentissimi, & quam ad haec omnia patefactus est aditus diligentiae, labori, assiduitati, tam est negligentiae, otio, ambitioni interclusus. Decorum sane atque honestum est homini religiosae familiae consecrato summorum in Urbe principum gratia & benevolentia florere; in gravissimis consultationibus

ſive ad praefiniendas caeremonias ſacras, ſive ad ſceleſtos criminum vinculis relaxandos, ſive ad tuendum Chriſtianae religionis candorem ſpectantibus adhiberi; vocari etiam ad ſublimiores Sacerdotii gradus, & dignitates. At haec omnia, quandoquidem ſunt multis communia, non ſunt magnopere ſuſpicienda in Vincentio Maria Ferretto, qui talibus, aliiſque horum ſimilibus ornamentis partim eſt uſus, partim ea neglexit, & repudiavit. Illud tanquam ſingulare & proprium in eo miror, quod ſervata legum integritate, quotquot ſunt in Familia Dominicanorum, de ſcientiarum, omniumque doctrinarum ratione & methodo, non perturbato praemiorum ordine, regia quaſi via tanta celeritate per omnes honorum gradus ad ſummam eorum metam excurrerit. Pulcherrimum profecto judicium, & veſtra ſapientia dignum de Vincentio tuliſtis, ſupremi Ordinis moderatores, qui non virtutem annis, ſed annos virtute metientes regendae ſtudioſae veſtrae juventuti eum praefeciſtis in lyceo Neapolitano ad S. Thomae Aquinatis, nempe in eo lyceo, quod majores veſtri voluerunt eſſe Seminarium juvenum ingenii flore, doctrinae commendatione, & morum, diſciplinaeque ſeveritate nulli ſecundum. Hoc veſtrum judicium ſequi, credo, ſibi laudi verterunt ſpectatiſſimi omnes, & probatiſſimi viri, qui ſuis precibus, & votis apud vos evicere, ut ad eandem provinciam hic obeundam Neapoli Vincentius evocaretur Romam; evocato autem, & in regendis hujus Minervitani Collegii alumnis occupatiſſimo totius Coenobii adminiſtrationem, rerumque ſummam ſemel atque iterum demandarunt, & ſeſe omnes mirabili animorum conſpiratione tanquam parenti amantiſſimo, vigilantiſſimoque rectori ſubjecerunt. Nonne & hoc eodem judicio veſtro commoti fuere omnes illi Patres Conſcripti, qui quum Florentiam conveniſſent, ut ſibi, ſuiſque provincialibus unum aliquem ex

multis,

multis, qui eo venerant, prudentia, charitate, consilio eximium praesidem cooptarent, de Ferretto aliis anteferendo prius fere statuerunt, quam cogitarent?

Nam si dixero, quod Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, quorum est populos in sincero religionis nostrae cultu continere, incredibili consensione, conspirationeque animorum; ceteris non modo approbantibus, sed etiam laudantibus; judicio de Vincentii probitate, & sapientia toties jam a Dominicanis confirmato adjunxerunt suum, quum ejusdem religionis & pietatis Christianae renunciarunt vindicem & statorem, nihil certe quidem a veritate oratio mea abhorrebit. Quum enim superiores omnes illas apud Suos gessisset provincias & praefecturas juste, moderate, fortiter, facile e domesticis parietibus erumpente harum virtutum fama, diutius non fuit Supremae Inquisitioni, ei scilicet purpuratorum Patrum Collegio deliberandum de legando ad Spoletinos, & Perusinos Vincentio, qui ut Apostolus Paulus ad Corinthios, ita ad eos veniret in virga, in charitate, in spiritu mansuetudinis. Utrum vero conceptae de se expectationi in tanto munere cumulate satisfecerit, dubitare nos prohibent cum antiquae pietatis apud eos populos integritas sarta & tecta servata, tum constans eorumdem in Vincentium benevolentia singularis. Ille ut perversarum opinionum labem, aut nova in religionem instituta irrepere sineret? quorum auctores in virga ferrea, sicuti monent divinae litterae, confringere solemne habuit? Ille ut homines de disciplina, legibusque Christianis male ex ignorantia, vel imprudentia meritos durius asperiusque tractatos in perpetuum existimationis & famae discrimen adduceret? quos in charitate fuisse ab eo edoctos, paterneque castigatos unice secretiora illa sacrarum aedium penetralia, si interrogentur, testari possunt? Ille ut publicos, impudentesque mysteriorum contemptores potentum minis, & supercilio per-

 refa-

terrefactus negligeret, atque impune abire pateretur? qui tali mansuetudinis spiritu instructus erat, qualem didicerat ex Angelico Praeceptore sibi opus esse ut irruentes undique angustias, & terrores placido circumspiceret ore, firmeque stans pede de loco non cederet? O constantiam Christiano milite, & duce dignam! O verum in virga, in charitate, in spiritu mansuetudinis parentis sui Dominici, sodaliumque suorum Petri Martyris, & Vincentii Ferrerii aemulatorem!

Diuturniorem certe quidem Ferretti operam in sua tuenda confirmandaque apud Spoletinos, & Perusinos dignitate Religio desiderabat; sed hujus desiderii vim ex maxima parte imminutam sensit, quum Urbi, in qua principem ipsa sedem habet, acerrimum suorum jurium propugnatorem restituendum cognovit. Nam quum vobis, Patres amplissimi, ita se Vincentius probasset in aliis atque aliis gravissimis provinciis suae fidei commendatis, ut clarissime appareret eorum, quae antea gesserat, oblitum ad ampliora & illustriora in dies sese extendisse, donec Dei superne vocantis consilia perfecte compleret, non fuit dubitandum quin e re vestra & bono publico futurum esset si ad universi Praedicatorum Ordinis procurationem evocaretur. Atque hic permittite vestris quasi ex oculis, atque auribus continuo elabi laetitiam & gratulationem, qua Vincentii reditus in Urbem a nobilissimis quibusque ordinibus vel occupatus, vel exceptus fuit; elabi praeterea admirationem, & reverentiam hominum, qui in Archigymnasio Romano secretiora quotidie Scholasticae Theologiae arcana evolventem audivere, suarumque disputationum censorem experti sunt; elabi tandem copiam, majestatem, dignitatemque illius bis singulis annis coram summo Pontifice, & Cardinalium Senatu de divinis rebus disserentis. Nam haec omnia praeterquamquod, si copiosius tractarentur, me prohiberent servire, ut par est,

est, angustiae, & brevitati temporis, qua ad metam orationis properare compellor; tanquam leviora honorificentissimi muneris ornamenta ad maximam illius commendationem non pertinent. Procurationis universi Ordinis Praedicatorum quanta sit moles ille unus intelligat necesse est, qui possit totam etiam ejusdem Ordinis amplitudinem dimetiri. Quae sane ubicumque terrarum est natio, quae regio tam dissita, & remota a nobis, quo B. Dominici Alumni suae pietatis, & doctrinae lucem per se ipsi non uberrime effuderint, & semel effusam etiamnum praesentia sua, & domicilio non alant, atque augeant studiosissime? Quamobrem vix posse non dico explicari, sed recenseri puto quam ingens, quam varia, quam multiplex negotiorum copia ex orbe universo quotidie deferretur ad hominem, qui devotus fuit, & consecratus tanti Ordinis dignitati, & sanctimoniae ubique gentium custodiendae. Quid infinita illa multitudo, & varietas causarum, quibus in Romana Curia tractandis, & conficiendis nisi diligentissimam Vincentius dedisset operam, male saepe consultum esset privatis, & publicis Sodalium commodis? Hinc diversa caeremoniarum & rituum sanctitas pro diversa nationum, ac gentium natura apud suos stabilienda; illinc vindicanda coenobiorum jura, bona, immunitates; hinc exornandae nunc aliae atque aliae sacrae Domus, nunc singulae Provinciae, nunc universa Praedicatorum Familia novis Pontificum beneficiis, & diplomatibus; illinc providendum ne antiquissima, & clarissima beneficia hujusmodi longa temporum, aut hominum injuria conciderent. Stabilivit hic Noster accuratissime, vindicavit, exornavit, providit omnia. Cujus diligentiam in tanto obeundo munere ne diutius quaeramus monet haec ara maxima, ubi Catharinam de Ricciis caelestibus elatam honoribus nos ipsi venerati sumus; monent & aliae hae minores arae, ubi nunc Stephanae de Quinzanis,

nunc

nunc Alvari Cordubensis, nunc Petri Gonzales, Matthaei Carrerii, Marcolini Foroliviensis, Joannis Liccii, Joannae Urbevetanae, Alberti Villaeoniensis, Aegidii demum Vanzellae imagines propositae nobis sunt pio religiosoque cultu venerandae. Ita profecto est, per annos non amplius viginti vel primo, vel honorificentius, quam antea, apparuerunt in Beatorum, Sanctorumque hominum fastis decem Beati Dominici filiorum nomina, quorum singulis actis discutiendis, & cognoscendis causis vix totidem annorum spatium suppetere potuisset: sed rem gravissimam remissius, & segnius agi partim ipse per se vetuit Vincentius Maria Ferrettus; partim vel consilio, vel praesidio, vel exemplo suo acuit, majoremque fecit eorum solertiam, & assiduitatem, quorum praecipue nomine apud Apostolicam Sedem causae hujusmodi agitabantur. Fuit enim illud Vincentii proprium, maxime cum universi regiminis habenas moderaretur, qua hortationibus, qua promissis, qua praemiis, qua significationibus apertissimis suae gratiae, & benevolentiae Sodales omnes illos suos, qui pro Ordinis dignitate quacumque in re laborarent, ita commovere, incendere, inflammare, ut ad fidem suam celerrime liberandam, continuoque praestandum quod suscepissent, mirifice exardescerent.

Sed ne longius ab ipsius Vincentii diligentia divertam, non nego fuisse illius comites, & administras singularem scientiam, & gratiam. Nam de scientia ut pauca dicam, quamvis non deessent Ferretto homines juris universi scientissimi, qui de rebus apud se in consultationem adductis docte, & graviter pronunciare possent; tamen cum ipse videret multum interesse inter proprium de suis, & alienum de alienis rebus judicium, ab eoque magistratum geri, prudente qui mente pollet, quidquid de jure praesertim Pontificio paullo nobilius scriptum vulgatumque audiret, comparari jubebat, domesticaeque lectissimae

ſimae bibliothecae addici, ut opportune conſuleret. De ſingulis vero diplomatibus Apoſtolicis ſuo Ordini conceſſis, quorum tanta eſt copia, ut digeſta ab Antonino Bremondo, quem honoris cauſſa & modo nomino, & ero deinceps nominaturus, vix ac ne vix quidem potuerint octo voluminibus contineri; de ſanctionibus firmatis, de legibus latis, de conſultis habitis in Comitiis Ordinis non minus, quam ducentis & duobus ſupra quadraginta familiare illi erat ex tempore ſapienter, & accommodate diſſerere; atque inde factum eſt ut Ferrettum pro Suorum ſalute, ſplendore, & commodis decertantem adverſarii formidarent, judices revererentur, ſummi viri, atque ipſi Romani Pontifices maxime ſuſpicerent, & libentiſſime audirent. Erant enim ejus dicta, & ſcripta omnia ea venuſtate, & lepore condita, quae nihil detraherent de gravitate ſermonis, & mirifice delectarent. Quibus ſi addas hominis ingenuitatem, innocentiam, majeſtatem, totius denique animi, & corporis commendationem, jam habes cauſsam, quare univerſae Urbis gratia, & incredibili benevolentia floreret. Vetera ſunt illa, quae ante annos triginta ſuae obſervantiae, & amoris argumenta dederunt Vincentio omnes omnium ordinum viri principes, atque in primis BENEDICTUS XIII. P.O.M. toto eo tempore, quo ille huic tum Coenobio, tum ſtudioſae juventutis Collegio praefuit, & Caſanatenſis Cathedratici nomine doctrinam S. Thomae e ſuggeſto explanavit. Vetera, inquam, ſunt illa, recentiora videamus. Numera Viros eruditiſſimos ex omni genere, & conditione per hos viginti annos in hac Urbe verſatos; nullus eorum non officiis, ac ſtudiis omnibus Vincentium proſequebatur; & id potiſſimum tum cum palam eſt factum, eo vel maxime adnitente, coeptum eſſe ſub uno veluti aſpectu litterariae reipublicae per accuratos librorum omnium indices poni quidquid diſperſum & infinitum eſt in univerſa

amplis-

amplissima Bibliotheca Casanatense . Numera Praesules nobilitate , muneribus , & litteris ornatissimos ; quis eorum & saepe illum invisendi , & ad se venientem amantissime excipiendi non omnem quaerebat caussam ? Numera denique Cardinales dignitate , doctrina, virtutum gloria eminentissimos ; ad quem eorum , utcumque locus , & tempus postularent , Ferretto maxime obvius , & familiaris non patebat aditus ? quem eorum non expertus est ille in se , ac suum Ordinem eximie benevolum , & , si occasio incideret , propugnatorem amicum , atque egregie fidelem ? Nam Pontificis Maximi BENEDICTI XIV. erga Vincentium immortalia merita sunt ipsa per se satis splendida, nec fieri possunt oratione illustriora. Nam is profecto cum quanti eum Suprema Inquisitio faceret in memoriam revocasset , considerassetque singulari olim & sua, & omnium civium , atque ordinum voluptate a supremo Magistro vestro, Patres amplissimi,ad universi Ordinis procurationem fuisse Romam accersitum , rebusque maximis, atque gravissimis tractandis , gerendisque praefectum ; non modo confirmatus in ea fuit , quam jamdiu de Ferretto conceperat animo opinionem , sed amplissimis etiam eum muneribus , honoribusque ornandum existimavit . Patent omnibus Apostolicae Litterae , quibus , interveniente morte Thomae Ripollii , & Antonini Bremondi (qui viri , Deus immortalis , & quanta cum gloria gubernaculum reipublicae Dominicanae tractarunt !) semel atque iterum summum dicit moderatorem vestrum , & Comitiorum habendorum praesidem .

Nam quamvis Pontifex vere Maximus , & in vos egregie benevolus sua majestate , splendidaque concione ornaverit , augustissimumque fecerit Romanorum illum Comitiorum diem , quo Patrum Conscriptorum suffragiis renunciandus erat novus Magister vester ; in ceteris tamen Actis , & consultationibus gravissimis operae suae

vica-

vicariam Vincentii fidem ſuppoſuit. Itaque Vincentius Maria Ferrettus BENEDICTI XIV., & Sedis Apoſtolicae nomine duobus praefuit Praedicatorum Comitiis; eamque honoris amplitudinem cum dignitate ſuſtinuit, quam omnem idem Pontifex Majorum exemplo apud alios Ordines vel ipſe ſibi vindicavit, vel nonniſi ſelectiſſimis ex toto Collegio S. R. E. Cardinalibus ſubeundam cenſuit. Vos jam compello, doctiſſimi viri, quorum incredibili ſtudio, cura, & aſſiduitate primorum Parentum veſtrorum Acta immenſo ſplendidoque conſignata volumini ſinceram puramque lucem aſpexerunt anno ſuperiore, eo nimirum anno, quo ſumma rerum, veſtrorumque laborum praeſidium erat apud Ferrettum; qua eſtis ingenii felicitate, ſcribendi copia, peritia, & ſcientia, feſtinate opus immortale, atque ubi ad haec noſtra ventum erit, de Vincentio Maria Ferretto cetera omittite, & haec ſcribite: Vincentius Maria Ferrettus auctoritate BENEDICTI XIV. Pontificis Maximi anno MDCCXLVIII. habuit Bononiae Comitia noſtri Ordinis univerſi; eadem habuit & Romae anno MDCCLVI., ibi Antoninum Bremondum, hic Joannem Thomam Boxadorſium unanimi Patrum conſenſu nobis praeficiendum curavit. Nam audito nomine Antonini Bremondi, & Joannis Thomae Boxadorſii, quis tam erit ex noſtris poſteris in hiſtoriarum monumentis novus, ut ignoret ſpectatiſſimum fuiſſe utrumque ingenio, doctrina, ſapientia, uſu rerum, probitate, atque adeo non praeclariſſime ſentiat de excelſa Ferretti mente, cujus opera Patrum Conſcriptorum univerſa ſuffragia ad eorum creationem, tanquam ad optatiſſimam metam collimarunt? Quam deinde honorificum de Ferretto poſteritas judicium ſtatuet, cum acceperit auctoritate Pontificis Maximi BENEDICTI XIV. duo veſtra celebraſſe Comitia? Quandoquidem enim nulla eſt unquam aetas, aut oblivio deletura tanti Pontificis ſapientiae famam, quis non intelliget ſupremae

ſuae

ſuae poteſtatem auctoritatis nonniſi prudentiſſime fuiſſe ab eo in Ferretto collocatam? Noverat ingenii acerrimi & perſpicaciſſimae mentis Pontifex ita fuiſſe Vincentium animatum, & comparatum, ut ſummam auctoritatis vim animi moderatione temperaret, eaque ad tranquillitatem, & felicem beatumque exitum Comitiorum, non ad dominationis & imperii cupiditatem, quae nulla in eo fuit, uteretur. Fuit immo vero Vincentius a ſupremo magiſtratu alieniſſimus, qui Bononienſes Conſcriptos Patres de ſe eligendo cogitantes paullo ſeverius auctoritate Apoſtolica ab ea mente deterruiſſet, niſi obteſtationes & preces, quas adhibuit plurimas, jam impendentem animorum conſpirationem ſolvere potuiſſent. Rem dico apertam, & teſtatam Litteris BENEDICTI Pontificis tum iis, quas dedit amoris, & gratulationis pleniſſimas ad Antoninum Bremondum, tum iis, quibus huic Noſtro felicitatem Comitiorum, & ſummi viri electionem gratulatur. De prioribus nihil diſputo; ſunt enim publicae, & opportune Bononienſium Comitiorum Actis adjectae. Poſteriorum, quas occultiſſimas, neglectiſſimaſque apud ſe Ferrettus ſervavit, haec ſumma fuit: „ Reſcripſimus tui „ Ordinis Magiſtro nuper electo. Certiores Nos ille fa- „ ciens de ſua creatione confirmavit ſe omnia debere ti- „ bi, qui ſuffragia Patrum in te conſpirantia ad eum de- „ torſiſti. Ipſe homo magni nominis, & numeris omni- „ bus abſolutus praeclaram familiae veſtrae navabit ope- „ ram. Interea noſter optimus Ferrettus opus annalibus „ fideliſſime committendum patravit „. O vere egregium opus, cujus exemplum neſcio an in aliorum Comitiorum Actis ſit impoſterum conſcribendum! O Pontificis Litteras, quarum ſingula verba ſatis ipſa per ſe Vincentium Mariam Ferrettum immortalitati commendant! Fac modo intereant, ſi poſſint, epiſtolarum exemplaria omnia, quibus Vincentius acceſſuris ad Comitia Sodalibus cogitatio-

nes,

nes, & animos, magna qui ſpectent, & ad ea rectis ſtudiis contendant, precatur: intereant ipſa Comitiorum Acta teſtes humanitatis, prudentiae, & conſilii, quo tantam hominum multitudinem ingenio, natura, patria, lingua, moribus diſſimillimorum ita compoſuit, & moderatus eſt, ut una omnium eſſet mens, una conjunctiſſima, & conſtantiſſima de communi bono voluntas: intereant demum quae ſunt ab hoc Noſtro inſtituta, facta, dicta, ſcripta, cogitata praeclare & ſapienter omnia, ut Comitiis cum Bononienſibus, tum Romanis quietem, tranquillitatem, ſplendorem, majeſtatem tantam vindicaret, quantam nos ipſi vidimus, & admirati ſumus; ſi unum illud Litterarum Pontificiarum praeconium extet, nihil habeat aeternitas, quod de Vincentio Maria Ferretto cognoſcendum amplius deſideret.

Quandoquidem Pontificia haec laus & commendatio profecta ab illa animi moderatione & temperantia, ad quam Vincentius erat intus, foriſque compoſitus, quamque accommodate cum Angelico Praeceptore poſſum dicere fuiſſe propriam animi purgati jam non reprimentis, ſed obliti cupiditates, expreſſam continet viri imaginem mihi a principio propoſitam; viri, qui quum in omni vita nihil non caſte egerit, non juſte, non fortiter, non ad exactam Evangelii regulam; illud tamen Apoſtolorum in corde fixum immotumque habuit *ſervi inutiles ſumus*, atque obliviſcens ea, quae retro erant, ad ea vero, quae fuerant priora, extendens ſe ipſum ad deſtinatum perſequebatur, ad bravium ſupernae vocationis Dei. Hinc rara illa aequabilitas, qua ad contemnendas ſuas aeque laudes paratus erat ac reprehenſiones, ſi quidquam tamen caſtigatione dignum in ejus dicta, vel facta cadere potuit. Hinc ſeveriſſima lex ſibi ipſi indicta divina quotidie recolendi myſteria, nec quidquam eorum anni praeſertim diebus ſacratioribus omittendi, quae ad Dei lau-

laudem, & cetera Religionis officia cum ſuis Sodalibus exercenda pertinerent; quam legem iniquiſſimo ferebat animo quandoque imminui vel ab inopinatis graviſſimis ſuorum munerum occupationibus, vel ab infirma valetudine, vel a majorum imperio, qui capiti tam charo ab intempeſtae praecipue noctis incommodis ſolicite timebant. Hinc demum admirabilis fortitudo, tolerantia, & firmitas, qua plures extremi diuturniſſimi morbi cruciatus tulit, quam longaeva illius aetas, & naturae imbecillitas ſuſtinere poſſe viderentur. Hominem, qui fere ſextum jam & ſeptuageſimum annum in laboribus, & quotidianis curis contriverat, per undecim menſes affixum lecto vidiſſes ardentiſſimis ſaepe concuti febribus, ſaepe ſtomachi languore deficere, teterrimi ſaepe ulceris in latus ſaevientis doloribus acerbiſſimis conflictari; erecto tamen eſſe ſemper animo, leviora putare quae pateretur, expectare, & optare graviora. In ea expectatione, & deſiderio, ubi nulla ab hominibus vivendi ſpes fuit oſtenſa reliqua, nihil ille de morbi atrocitate, & taedio, nihil de anteactae vitae ſplendore, nihil de futura apud nos ſui nominis recordatione: omnia erant hominis adventantem noviſſimum diem minime exhorreſcentis, ſed praeſtolantis, hominis perſequentis cum Paulo Apoſtolo ad deſtinatum, ad bravium ſupernae vocationis Dei. Vos quidem, ampliſſimi Patres, qui Vincentium ad ſummum illud aeternae felicitatis bonum properantem omni pietatis, & religionis officio proſequuti eſtis, potuiſtiſne ſupremum cariſſimo capiti inflictum a morte vulnus eadem aequabilitate mentis, & conſtantia vultus intueri, qua ad hoc excipiendum ſeſe ille paravit? At inhumanus ſum, qui triſtiſſimae illius horae commemoratione diutius vos angere, atque excruciare velim. Novi ego vos, novi animorum veſtrorum fortitudinem; ſed novi etiam amorem, quo Vincentium complectebamini, atque adeo incredibilem,

aegri-

aegritudinem, qua tantum vestri Ordinis lumen, decus, & ornamentum sublatum doletis: quamobrem lenire me potius decet, quam refricare vulneris acerbitatem. Verum consolationis, & solatii caussa procul ab his parietibus quaerenda vobis Avertite hinc oculos, atque ex hac pompa funebri erigite ad caelestem illam patriam, quo feliciter ipsum jam devenisse certe quidem sperare possumus, postquam omnes mortalis illius vitae actus eo spectávisse noverimus. Ex illis sane caeli clarissimis sedibus cum nos omnes ceteros, tum vos maxime sodales, amicos, & fratres suos rogat, & obtestatur, ne videamini suam sibi felicitatem vestris lacrymis invidere, neque magis doleatis eum vos amisisse, quam habuisse laetemini. Itaque, ut vere, atque ex animo Vincentium Mariam Ferrettum dilectum, amatumque a vobis compertum sit, abjicite moerorem & luctum vestrum, eique gratulemini quod solida nunc aeternaque gloria fruatur, cujus possessionem certum est in caelis adiri ab iis, qui duce Apostolo Paulo ea, quae retro sunt, obliviscentes, ad ea vero, quae sunt priora, extendentes se ipsos ad destinatum persequuntur, ad bravium supernae vocationis Dei.